



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Epitome Instituti Societatis Jesu

Sesti, Curtius

Bruxellis, 1690

Sect. III. Quomodo admittendi Facultas exercenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68440](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68440)

¶ P. I. c. I. B. cum præsentibus fuerint. Citra hanc com-
missionem neque Rector, neque Præpo-
situs Localis ullum in Societatem admittat;
sed de iis qui admitti petunt, ad Provin-
ciam referat, quales illi sint, & quibus
donis Dei præditi. m

mP. I. c. I. §. 2.
& Reg. Præp.
79. & Rect.
77.

SECTIO III.

Quomodo admittendi facultas exercenda.

Præstandum à
non habentibus
admittendi fa-
cultatem.

n P. I. c. I. §. 2.
& A & Reg.
Præp. 80. &
Rect. 78.

Curanda à Pro-
vinciali &
Examinatori-
bus.

o Reg. Prov.
33.

1. **I**gitur quicumque Jus admittendi per
seipsum non habet, aliquem nactus
idoneum nostro Instituto, scribat ad Pro-
vincialem; ut proximè dictum est. Quod
si necessitas urgebit, & qui admitti petit,
valde idoneus videbitur: poterit Superior
eum, tanquam hospitem, domi recipere,
donec responsum à Provinciali accipiat;
vel ad eundem mittere, si expedire judi-
caverit. n

2. At idem Provincialis curare debet,
ne nimii sint nostri in hominibus ad Socie-
tatem alliciendis; sed per virtutes, &
bonæ vitæ odorem omnes ad Christum
trahere studiosè curent. o Et tam ipse, quàm
is, cujus opera utitur ad admittendum,
aut examinandum, habeat oportet cog-
nitionem rerum Societatis, ac zelum boni
pro-

progressus ipsius, ut nulla ratione dimo-
 veri ab eo possit, quod magis in Domino
 convenire judicaverit. Quod ut consequa-
 tur, moderatus admodum fit oportet in
 admittendi desiderio; & ut liberior sit ab
 omni minùs ordinato affectu, ubi vitii
 hujusmodi occasio esse possit (ut cum con-
 sanguineis & amicis) ille, in quo aliquid
 periculi hujusmodi timeretur, examinandi
 officio non fungatur. *p* Præterea in admit-
 tendo Superiores non sinant se moveri
 Nostrorum importunitate; nec bona ex-
 terna, & nostrorum affinitatem, sed ap-
 titudinem ad Institutum sequantur. *q* Ca-
 vebit autem Provincialis ne cujusquam
 admissio aliquam Externorum offensio-
 nem, aut Societatis nocumentum pariat;
 quod cum iis potissimum observandum
 erit, qui in Scholis nostris instituuntur. *r*

3. Et quia refert plurimum ad divinum
 servitium, convenientem haberi dele-
 ctum eorum, qui admittuntur, & dili-
 gentiam adhiberi, ut intelligatur, quæ
 eorum sint dotes, & vocatio; qui talem ad-
 mittendi facultatem habet, si per seipsum
 id ipse non præstet, habeat in iis, qui
 assiduè apud se agunt, aliquem, cujus
 opera utatur ad cognoscendum eos, qui
 ingrediuntur; ad agendum cum illis, eos-
 que

p P. r. c. 1. §. 4.
 & Reg. Exam.
 1. 2. & Or. c.
 18. §. 1. & In 6.
 §. 1.
q In 6. §. 1.

r Reg. Prov.
 32.

*Alia Examina-
 toyum Conditio-
 nes.*

que examinandum; qui quidem prudentia præditus sit; & non ignoret agendi modum, qui cum tam variis generibus, & conditionibus personarum est tenendus; ut majori cum intelligentia, & utriusque partis satisfactione negotium ad Dei gloriam transigatur. s

§ P. I. C. I. §. 3.

Eorundem munus.

§ P. I. C. I. §. 5.
& D.

4. Quicumque autem fungetur Examinatoris munere, in scriptis habeat, quæ ad tale officium pertinent; ut sunt Liber completus Examinis Generalis, & Regulæ Examinatoris, in quibus hæc omnia distinctius traduntur. At si satis notus est, qui ingreditur, non necesse erit juxta Examen Generale procedere; in quo Superioris judicium Examinator sequatur. Antequam autem ad primam Probationem recipiantur, fere semper de quibusdam rebus majoris momenti, præsertim de iis, quæ solent excludere, examinari eos oportebit.

¶ Ex. C. I. A &
P. I. C. I. D.

¶ Quomodo autem ulterius in Examine pergendum sit, dicetur statim, cum prima Probatio exposita fuerit.

